







PARTITIONUM
Theologicarum

Disputatio VI.
DE
HOMINIS ES-
SENTIA THEOLOGI-
CE CONSIDERATA.

In almâ Academiâ VVitteber-
gensi proposita;

PRÆSIDE
M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

RESPONDENTE
M. DETHLEVO MEIERO
Flensburg. Holsato.



MAGDÆBURGI,
Excudebat Ioachimus Boëlius.
Sumtibus Clementis Bergeri Bibliopolæ
Witteberg: Anno 1611.





REVERENDO:

Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimisq; VIRIS:

DNO. M. JACOBO WERENBERGIO,
*Ecclesiastæ Hamburgensi, amitino suo plurimum
observando.*

DNO. LUCÆ BECMANO Seniori, &

DNO. JOHANNI von Kampen.

DNO CORNELIO de Hartigess / &

DNO. PETRO Köver /

Illis corporis Christi, his templi, D. Petro
sacri, juratis integerrimis, fidelissimisq; civibus Ham-
burgensibus primariis, Dominis fautoribus
& MÆCENATIBUS suis
magnis

Exercitationem hanc Theologicam

In gratitudinis, & industriæ suæ evidens


τεκμήριον

Humilimè it dedicatum

M. DETHLEVUS MEIER

Fl. Hoff.

Typus hujus Disputationis.





DISPUTATIO VI.
CONTINUATIO.

Diximus supra, operationem particularem Dei pro objecto habere Angelum, & HOMINEM. Creaturam angelicam volentem & intelligentem vidimus: hominem creaturam alteram, iisdem donis ad cultum Deo praestandum instructam, nunc scrutabimur.

THESIS I.

Homo consideratur dupliciter; vel in essentiâ, vel in diversis statibus.

Definitio
hominis.

2. In essentiâ consideratur vel secundum totum, generaliter; vel secundum partes, specialiter.

3. Secundum totum consideratur definitivè. Est igitur homo animal rationale, primum post omnes alias creaturas singulari DEI consilio ad imaginem & similitudinem creatoris creatum.

Genus Animal.

4. Definitionis huius genus est *animal*. Quandoquidem cum reliquis animalibus in eo convenit, quod sensû & motû sit praedictus: estq; id per se manifestum, & à Philosophis satis probatum.

Differentia.

5. Differentia est duplex: prior sumitur à formâ essentiali; de quâ paulò post: posterior à modo creationis.

Modus creationis.

6. Modus creationis involvit quatuor, 1. Causam effici-

efficientem: 2. Consultationem de creando homine:
3. Circumstantiam temporis: 4. Formam accidentalem.

7. *Caussa efficiens sive creans est ipse DEUS, Gen. 1. v. 27: Creavit Deus hominem, masculum & foeminam creavit illos. Item; Iehova hominem deleturus de terrâ, Gen. 6. v. 7. inquit: Delebo homines, quos creavi, de superficie terra. Et cap. 7 v. 4, de eodem ait: Delebo omnem substantiam, quam feci, à superficie terra; Et nominatim c. 6. v. 7. dicit, ab hominibus usq; ad jumentum.*

8. Manifestum inde est satis, hominem substantiam esse à DEO creatam: Quando bonus est, innocens, & integer? Omnino: sed non tantum: verum etiam quando pessimus est, & peccatis corruptus.

9. Quandoquidem ut primi homines, ita etiam omnis posteritas creatura DEI sunt. Hinc *Augustinus supra Psal. 73. inquit: Parentibus generantibus, Deus creat,*

10. Et de propagationis hac creatione loquitur ipse Iehova ad Mosem, *Exod. 4. v. 11: Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & caecum? Nonne ego JEHOVA?* Et satis claram generationis mentionem iniicit, *Psal. 89. v. 48. cum creatione junctæ, quando in hæc verba delinit: propter quid frustra creaveris omnes filios hominum? cum interim confiter, omnes in peccatis concipi homines, & gigni.*

11. Verum ut ad primam hominis creationem redeamus, accuratè perpendenda sunt verba, quæ exstant *Gen. 1. v. 27: Et creavit Elobim hominem in imagine suâ; in imagine Elobim creavit eum: masculum & foeminam creavit eos.*

12. Hic enim, quis hominis creator fuerit, exactè docetur, nempe Elobim, hoc est, sacrosancta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Caussa hominis efficiens est tota Trinitas.

A 3

13 Atq;

13. Atq; hoc est, quòd ter repetit verbum *creandi* in unico hoc textu Moyses; quod non putemus vel frustra, vel ornatùs alicuius causâ fieri: plura certè mysteria latent in verbis divinarum scripturarum, ut non sine causâ jusserit CHRISTUS, ut scripturas non superficie-tenus legamus, sed ut eas scrutemur. Nam singula ibi verba sunt singula pondera.

14. Quocirca nulli dubitemus, quin Moyses trinâ hâc verbi CREANDI repetitione docere voluerit, hominem non à Patre solùm creatum fuisse; verùm etiam à Filio, & Spiritu Sancto.

15. Ut enim ad nostri recreationem semper concurrunt, & simul operantur: Pater mittit filium, filius fundit sanguinem, & peccata expiat, Spiritu Sancto regeneramur, & beneficium Christi nobis applicatur; ita etiam ad nostri creationem omnes simul operati sunt.

16. DEUS igitur, hoc est, sacrosancta Trinitas hîc est causa efficiens. Sed cuius rei? num corporis tantùm, num saltem animæ? Non certè: sed hominis. Sic enim textus: *Creavit Elobim hominem*. At is constat corpore & animâ, uti mox videbimus: Ergo utriusq; & corporis & animæ, adeoq; totius hominis creator est CHRISTUS, ut totius est redemptor.

Consulta-
tio de
creando
homine.

17. Deinde consultationem de creando homine quod spectat, ex eâ luculenter apparet, maximam hominis præ reliquis creaturis dignitatem esse, & præstantiam, eumq; longè alterius naturæ, quàm sunt cætera animalia omnia.

18. Moyses enim de aliis rebus omnibus simpliciter narrat, DEUM eas simplici suo verbo, & jussu creasse, dicendo; *Sit lux: sit expansio in medio aquarum: sint luminaria: producant aquæ reptile, & volatile; producat terra animâ viventem, jumenta, &c*: Verùm de homine
ante-

antequam narret, quomodo factus sit, præmittit consultationem trium Elohim, Patris, Filii & Spiritus S. quam de ipso creando, deq; eius naturâ, dignitate & præstantiâ, in quâ creandus esset, inter sese instituerunt.

19. Consultationem & deliberationem hanc explicat Moyses v. 26. c. 1. Gen: *Dixit autem Elohim: faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostrâ, & dominantur piscibus maris, ac volatilibus cæli, atq; jumentis, & toti terræ, omniq; reptili reptanti super terram.*

20. Cuius consultationis summa ad hanc redit: Creavimus & extruximus hætenus cælum & terram, totumq; universum hoc spatium quinque dierum, nec non sexti huius partem insumimus in animalibus creandis: nunc tandem tempus est; ut creemus quoq; illum, cuius causâ theatrum hoc & omnia, quæ in eo sunt, fecimus, in eoq; nostram insculpamus imaginem, & animalibus, & rebus aliis omnibus eum præficiamus. Faciamus igitur hominem.

21. Significat igitur Iehova, & creator noster verbo FACIAMUS; & illo NOSTRAM, in totâ creatione, & in hac consultatione, se plures esse, nempe *personas*: Verbo autem singulari; *Et dixit, Et creavit*, simulq; nomine singulari, *imaginem & similitudinem*, se unum tantum esse, nempe *solus*.

22. Non autem iniit Deus consilium cum Angelis; DEVS non quem quidem errorem errant hîc Rabbini, sed cum sacrosanctâ Trinitate: quandoquidē imago illa, ad quam formatus est homo, nec non creatio, ut & creationis architectona consilia nulli creaturæ, sed soli Deo competunt. *iniit consilium cum Angelis.*

23. Rejicimus etiam Iudæorum fabulas, quibus malignosè fingunt, DEUM hîc honoris causâ de seipso in plurali numero more Magnatum, locutum esse. 1. Quia id in genere est contra proprietatem Hebrææ linguæ. *DEVS non de se ipso loquitur in numero plurali.*

Infallibilis enim est generalis hujus linguæ regulæ: Nomina masculina in IM terminantia sunt pluralis numeri, & multos significant: Verbis item pluralis numeri activis plures itidem personæ agentes indicantur. Quod autem Iudæi hîc semper excipiunt nomen Elohim, & verba pluralis numeri, quando de Deo prædicantur, id faciunt sine ratione, & contra naturam regularum universalium; & ita petitionem principii committunt. 2. Id in specie est contra modum loquendi in scripturis usitatum: ubi pluralis numerus ad significandam dignitatem tantum in secundâ & tertiâ, non autem in primâ usurpari solet; uti annotavit probatissimus auctor *Rabbi Aben Esra in 31. Gen.* 3. Quia esset contumeliosum in DEUM. Princeps enim eo modo loquendi significare vult, se consiliariorum & procerum suorum adminiculis hoc vel illud statuere, decernere, mandare, ut ita non tam honoris, quam modestiæ vox sit. 4. Quia consuetudo ita loquendi à paucis modò seculis invaluit. 5. Quia quando hæc locutus est Iehova, ubi erat princeps? Da Adam hæc et Eva span / Wo war damahls der Edelman. 6. Quia si locutio illa pluralis non pluralitatem personarum notaret, facile posset occasionem præbere ad πολυθεϊαν asserendam.

24. Approbandum igitur meritò est Synodi Sirmionensis decretum: Si quis dicat, hæc verba, FACIAMUS HOMINEM, non Deum Patrem ad filium, sed Deum ad se ipsum locutum esse, anathema sit; Soc. lib. 2. c. 25. Tripart. l. 5. c. 7. Ambr. Hexaëm. l. 6. c. 7. Basil. hom. 10. Th. quæst. 19.

Circum-
stantia
temporis.

25. De circumstantiâ temporis notetur, quòd homo sit omnium creaturarum ultima. Ultimam enim
ope-

operibus suis manum impositurus DEUS, hominem velut totius creaturæ ἀνακεφαλαίωσιν, compendium, μικρόκοσμον, & principem creavit.

26. Vbi simul ratio involvitur, cur ultimò homo creatus sit. Oportuit enim prius totum mundum fabricari, antequam ejus summa in homine describeretur. *Cur homo ultimò creatus sit.*

27. Alia verò adhuc ratio desumitur ex Epistolis Pauli ad Romanos, & Corinthios, ubi cum primis duo homines sive Adami introducuntur: Primus & secundus, terrenus & cœlestis. Vt enim ex primo Adamo omnes secundum carnem: ita ex CHRISTO, altero Adamo, omnes secundum Spiritum.

28. Vt igitur primus Adamus postremo, hoc est, sexto die creatus est: ita sextâ ætate in plenitudine temporis missus est filius DEI in carnem, & legi subiectus, ut nos à peccato & morte liberaret. Vt porrò sextum illum diem, atq; ita creationem Adamo statim secutum est Sabbatum, nempe tempus illud benedictum, quo DEUS ab omni quievit opere; ita hac sextâ ætate post missum CHRISTUM, nullus præterea Servator. (Quandoquidem DEUS novissimè locutus est in filio:) sed Sabbatum illud magnum & æternum est expectandum. Probabile igitur est, mysterium hoc ut indicaretur. DEUM sexto die & postremo omnium creare voluisse Adamum. *Gal. 4. 4.*

29. Ultimum, quod in modo creationis venit observandum, est Imago DEI. Vt autem neq; anima tantum, neq; corpus tantum dicitur à DEO creatum, sed totus homo: ita etiam testatur scriptura, eundem non secundum vel partem formalem, vel partem materialem ad imaginem DEI formatum esse, sed totum. *Imago Dei.*

B

30. To-

30. Totus enim justus & rectus creatus est; totus justitiâ originali, dominio in omnia, aliisq; innumerabilibus gratiis divinis donatus; Totus per sanguinem CHRISTI redemptus, & Spiritu Sancto regeneratus; tandemq; totus ad immortalem beatamq; vitam resurget, inq; cœlo cū omnib; creatis angelis triumphabit.

31. Concedimus quidem, quod imago illa πρώτος in animâ resideat, interim corpus non excludimus. Nam ut solum corpus non est homo, ita neq; anima sola, sed utrumq; simul homo est. Hinc non solum corpus, non sola anima, sed totus homo à CHRISTO est assumptus.

32. Deinde non tantum Adamum, verum etiam Evam, atque ita utrumque sexum ad imaginem DEI conditum esse, ex eo manifestum est, quod Gen. 1. v. 27. immediatè hæc conjungantur: *Ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit illos.* Verum de hac DEI imagine in sequenti disputatione fusiùs agetur. Atque hæcenus de homine secundum totum consideratò.

Partes hominis essentialis.

33. Cæterum partes hominis essentialis sunt materia, nempe corpus, & forma, nempe anima rationalis. Hæ enim partes naturali nexu junctæ vivam & veram faciunt humanitatem, quæ cū ἰσπουσάσφ subsistentificatur, homo resultat, & finitur, habens humanitatem.

Natura humana ab hypostasi distinguitur.

34. Hinc naturæ humanæ aliquod discrimen evincitur ab ὑποστασφ hominis; quod in doctrina de Personâ CHRISTI negligendum non est. Quandoquidem veram λόγος assumpsit humanam naturam, sed non hypostasin. Hypostasis enim τῆ λόγος etiam humanæ naturæ hypostasis facta est per unionem, quæ ob vinculum hoc ὑποστατικῆ finitur, ut suo videbimus loco.

35. In

35. In corpore duo sunt consideranda; *Materia*, & *Materia*
figura sive forma. *Materiam*, ex quâ corpus Adæ fuit ef- *corporis*
formatum, terram finit scriptura. E terrâ enim pri- *Adami.*
mum vapore irrigatâ, atq; sic quasi præparatâ, modo
planè singulari, non per *F I A T* illud solùm, nec per ge-
nerationem illam terræ mandatam; sed per efforma-
tionem, expolitionemq; peculiarem hæc hominis pars
creata & facta est, *Gen. 2. v. 6. Gen. 1. v. 27.*

36. Materiam hanc exprimit vox Hebræa *אֶרֶץ*, quæ
non pulverem simpliciter notat, sed pulverem lutosum
sive madidum. Et ne quis putet, pulverem illum vel ex
nihilo, vel excellentiore quadam materiâ creatum esse,
additur *אֶרֶץ אֶדְמָה*, ex terrâ: Denotat autem *אֶרֶץ*
propriè terram rubram. Atq; hoc est, quod diximus,
corpus Adæ efformatum esse ex terrâ vapore irrigatâ.

37. Ergo, inquis, non ex quatuor elementis factum *Ex quatuor*
est humanum corpus? omnino. Quandoquidem qua- *Elementis*
tuor elementorum qualitates, quatuorq; humores, *corpus A-*
quos in humano corpore experimur, *ἀποδείκνυσι* argu- *da.*
unt, corpus hoc ex quatuor elementis compositum
esse.

38. Quòd vero Moses tantum *Terra* mentionem in-
iiciat, sit illud duplicem ob causam. 1. Quia est pars
prædominans, idèoq; meritò ab illâ sumitur denomi-
natio. 2. Ut meminerimus nostræ originis, nempe à
terrâ nos esse, non secus ac reliqua animalia terrestria:
ac proinde ne insolescamus: cum eòdem etiam simus
redituri, *Gen. 3.* Atq; hinc *Ecclesiasticus c. 40.* terram
communem omnium matrem vocat.

39. Quocirca, ut id obiter hîc tangamus, potiùs *Homo im-*
probamus illorum sententiam, qui Latinum *H o m o*, *de derive-*
non ab *ὁμῶς ἢ ὁμῶς*, sed ab *humo* derivant. Quandoqui- *tur.*
dem id non Politicam conversationem, sive hominum

congregationem significat, cum & sturni & columbæ congregatim volitent, & pecora simul pascantur, nec non ὁμοίων ὁμοίως τέρπηται. Hoc derivatum propius ad rem accedit: è terrâ enim sumus, in terrâ vivimus, terrâ vescimur, & vestimur, in terrâ sepelimur, & tandem in terram resolvimur universi. Accedit & hoc, quòd derivatio hæc respondeat Hebrææ, cuius ipse Deus auctor est, quæ hominem à radice אֲדָמָה denominat.

Forma sive
figura cor-
poris Adæ.

40. Formam sive figuram quod spectat, longè illa diversa est à formâ, quâ alia prædita & constituta sunt animalia. Horum enim corpora ad terram inclinant: hominis verò erecto vultu in cælum fertur:

*Prona quæ cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

41. Figuram hanc indicare voluit Moyses verbo אֲדָמָה. Sic enim inquit Moyses אֲדָמָה אֲדָמָה. Nam licet interdum verbum hoc usurpetur de iis etiam rebus, quæ figuram non habent, ut *Esa. 45*, formans lucem: hoc tamen loco propriè significat ita aliquid è luto fingere, ut certam illi ac peculiarem formam vel figuram tribuas.

42. Arguit igitur verbum hoc, quòd huius figuræ, quâ corpora nostra prædita sunt, nullus alius sit auctor, quàm ipse Deus; quodque talem eam esse voluerit, & non aliam, ut nimirum cælum contueatur homo, cultumque Deo gratum, per quem ad cœlestem illam habitationem deduci tandem, Deoque præsentem frui possit, mediterur.

43. Quò quidem scriptura sacra alludere, queat videri, quando nos à terrenarum rerum curâ avocans cælum jubet suspicere. *Coloss. 3. v. 1, 2.*

44. Re-

44. Respexit quoq; huc nominis impositio Græca: *ἀνθρώπος* ubi non, ut apud Latinos, homo ab humo; sed à for- *πῶ* *un-* mā & figurâ corporis appellatur *ἀνθρώπος*, *παρὰ τὸ ἄνω* de derive- *ἀθρόν*, à sursum aspiciendo. *tur.*

45. Altera hominis & quidem formalis pars est *Pars for-* *ANIMA rationalis*, cuius considerata partim creatio, *malis est* partim propagatio. Creatio describitur *Gen. 2, v. 7: In-* *anima.* *sufflavit Jehova in nares ejus spiraculum vitæ.* Cùm enim de corpore dixerit priùs ante Moyse, liquet in altero hoc membro eundem verba facere de animâ.

46. Vbi 1. tenenda est *Caussa efficiens.* 2. *Modus crea-* *tionis.*

47. *Caussa efficiens* est ipse *Jehova*, vel sacrosancta *Caussa ef-* *Trinitas*, quæ etiam corpus è limo terræ formârat, quod *ficiens ani-* *ex 1. c. Gen. v. 27.* patet: Creavit itaq; Elohim homi- *ma.* nem. Ergo & animam, quæ cum corpore hominem constituit, & potior eius pars est: Et ex *c. 2. v. 7: For-* *maverat igitur, Jehova hominem è pulvere terræ, inspira-* *veratq; in faciem ejus spiraculum vitæ, & fuit homo in* *animam viventem.* *Jerem. 38. v. 16: Vivit Jehova, qui fe-* *cit nobis animam hanc.* *Zach. 12. v. 1: Dominus extendens* *cælos, & fundans terram, & fingens Spiritum hominis.* Vnde etiam *Salomon Eccles. 12. v. 7,* testatur, Spiritum hunc à *D E O* esse datum.

48. *Modus creationis* continetur totis hisce verbis: *Modus* *Insufflavit in nares ejus spiraculum vitæ.* Vbi iterum *creationis* *duo, insufflatio & spiraculum vitæ.* *animæ.*

49. *Insufflatio* hæc non potest intelligi de commu- *Insuffla-* *nicatione Spiritus Sancti.* 1. Quia nunquam Spiritus *tio.* Sanctus appellatur *נְשֵׁמָה* flatus, anhelitus; sed semper *רוּחַ* Spiritus. 2. Quia anima hoc nomine significatur. 3. Quia non simpliciter dicitur: *נְשֵׁמָה*, sed *רוּחַ נְשֵׁמָה*

B 3

spira-

spiraculum vitarum. Per hanc enim vivimus, & quidem non tantum vitam plantarum, quod est primum vitæ genus; neq; tantum vitam animalium, quod est alterum; sed vitam quoq; Spiritualium substantiarum, quæ cum cognitione juncta est.

§0. Insufflatio igitur hæc est ipsa creatio animæ, sive creationis eius modus: quod nempe **D E U S** flando in nares corporis Adæ animam in ipso creaverit.

Per flatum
quid hic
intelligatur.

§1. Cæterum quid per flatum hunc intelligendum sit, non omnino consentiunt interpretes. Quidam volunt, quod hic dicitur, Spiritualiter intelligendum esse, cum **D E U S** incorporeus corporaliter ex se flatum non emittat: ideoq; dicunt, insufflasse in nares, hic idem esse, ac fecisse flare nares, spirare, & respirare.

§2. Quidam id historicè, ideoq; , ut verba sonant, intelligendum esse volunt: in quâ sententiâ sunt nonnulli ex antiquissimis Patribus, *Irenæus, Justinus, Tertullianus,*

§3. Quæ sententia hoc nititur fundamento: quia ultratissimum fuit filio **D E I** à condito usq; mundo speciem humani corporis assumere, & eâ se Patribus manifestare, in eâ loqui, imò etiam luctari, ut cum Iacobo. Cum igitur hæc ex sacris sint longè manifestissima, statuunt, eundem, cum jam creaturus esset hominem, humanam assumisse speciem, suisq; manibus lutum accepisse, tractasse, ex eo corpus Adami formasse, tandemq; in corporis formati nares flatu vero, reali, & corporeo insufflasse, insufflandoque intrinsecus animam, quâ viveret, creasse.

§4. Quæ interpretatio si rectè intelligatur, neque cum aliis sacrae scripturae locis, neque cum analogiâ fidei pugnare videtur: Imò videtur omnino cum totâ hac historiâ consentire, & ex eâ probari posse.

55. Gen.

55. *Gen. 3.* dicitur, 1. Iehovam deambulasse in horto Paradisi. 2. Eius vocem ab Adamo & Eva post lapsum auditam fuisse. 3. Hos sese à conspectu Iehovæ abscondisse. Quæ sanè omnia assumtam speciem corporis & quidem humani arguunt.

56. Cùm autem (ut sentiunt quidem Patres omnes) nunquam reliquæ personæ, sed solus λόγος, in humana formâ apparuerint, etiam hîc illum ipsum filium DEI speciem humani corporis sumsisse, locutum fuisse, & operatum, credibile est.

57. Id quod maximè confirmari videtur eo, quòd CHRISTUS in carne revelatus similibus actionibus usus fuit. Quando enim cæco reddit facultatem videnti, lutum facit ex suo sputo, idq; super oculum ægroti imponit. Sic quando Apostolis dat Spiritum Sanctum, facit id insufflando.

58. Videtur igitur CHRISTUS his & similibus ceremoniis voluisse demonstrare, se eundem esse, qui & ex luto formaverat Adamum, & qui in faciem eius spiraculum vitæ, sive animam humanam, inspiraverat.

59. Hanc sententiam si sequamur, statuamus utiq; necesse est, flatum istum fuisse creatum, nec non animæ visibile signum, vel potiùs medium, per quod ipsa anima creata est, non aliter atq; flatus CHRISTI in Apostolis fuit signum ipsius Spiritus Sancti actu in ipso, & cum ipso flatu præsentis: ideoq; quasi medium, per quod Spiritus Sanctus dabatur Apostolis.

60. Quòd autem quidam colligunt DEUM insufflatione hac significasse, Adami & omnium hominû, qui unquâ erant futuri, animas creatas ab initio mundi fuisse, & in coelis collocatas, indeq; in cuiusq; corpus, simul ac formatû est, certam evocari, atq; per nares infundi,

ut

ut caret omni Scripturæ fundamento, ita etiam falsif-
simum est: imò manifestè pugnat contra hunc locum,
& totam de hominis creatione historiam.

61. Quando enim dicit Iehova: *Faciamus hominem
ad imaginem nostram*: item; *creavit igitur hominem*; ;
non de iolo loquitur corpore, neq; enim corpus homo
est. Et si omnino vox hominis conveniat uni parti, po-
tius animæ, quàm corpori debetur: Verùm homo fuit
creatus totus die sexto: Ergo anima ante diem illum
creata non est; & multò minùs omnium, qui futuri e-
rant, hominum animæ; cùm die sexto tantùm duo
fuerint creati homines, Adam & Eva.

62. Adde, quòd Moyfes nunquam antè fecit men-
tionem animæ à DEO creatæ, nisi quando dicit, quòd
Iehova homini inspiraverit spiraculum vitæ: quocir-
ca hæc verba totius animæ creationem, & cum corpo-
ræ coniunctionem docent.

63. Quomodo etiam illud Apostoli de Iacobo & E-
savo verum esset: cum nondum nati essent, aliquidvé
boni vel mali egissent: &c. *Rom. 8.* Si enim illorum a-
nimæ ab initio mundi creatæ fuissent, omnino per to-
tum illud tempus aliquid egissent, idq; vel bonum vel
malum. Nam vivere & nihil agere, ἀδύνατον est.

64. Alii ex insufflatione hac necessariò colligi au-
tumant, animam extra corpus creatam esse; quo dein-
de probare fatagunt, in generatione hominis priùs im-
mediatè extra corpus animam creari, & deinde in cor-
pus infundi. Verùm neq; hoc admittit modus huius
creationis, sive metaphoricè verba hæc (sufflavit in
nares) intelligas, sive propriè, ut sonant.

65. Si metaphoricè, tum (propterea quia DEUS in-
corporeus est) per illud insufflare in nares nihil aliud
signi-

significatur, quàm animam Spiritu Dei in corpore Adami creatam esse, quæ se flando & reflando potissimum per nares ostenderit.

66. Si autem verba intelligas, ut sonant, & sufflationem illam corporaliter accipias, ut explicavimus; neque tùm sequitur id, quod volunt. Quandoquidem nihil aliud illâ denotatur, quàm modus creandi in corpore Adami animam: nempe quòd inspirando illam in homine creaverit, non autem extra illum.

67. Si porrò quæras, quidnâ inspirando in corpore humano creaverit Iehova, respondet Moses: *הַשְּׁמַשׁ הַיְיָ* spiraculum vitarum, hoc est animam tribus suis essentialibus facultatibus, vegetativâ, sensitivâ, & intellectivâ constantem.

68. Duo hîc tenenda sunt, 1. Essentia. 2. Numerus. De essentiâ iterum duo consideranda veniunt: 1. Quid sit anima hominis. 2. Quas habeat facultates. Prius quod spectat, dicimus, spiraculum illud animam esse. Est autem anima hominis in suâ essentiâ non corporeum quid, sed à Deo creatus spiritus immortalis. *Anima rationalis quid.*

69. Hinc Athanasius eam definit *ad Antiochum quest. 16. tom. 2. fol. 279.* ἡ μὲν τῶ ἀνθρώπου ψυχὴ, ἐστὶν οὐσία νοερά, ἀσώματῳ, ἀπαθὴς, ἀθάνατῳ. Anima hominis est substantia intellectiva, incorporea, impassibilis, immortalis. *Damasc. l. 2. de fide Orth. c. 12.* ψυχὴ τοίνυν ἐστὶν οὐσία ζῶσα, ἀπλὴ καὶ ἀσώματῳ, σωματικῶς ὀφθαλμοῖς κατ' οἰκείαν φύσιν ἀόρατῳ, ἀθάνατῳ, λογικῆτε, καὶ νοερά, ἐσχημάτιστῳ, ὀργανικῶ κεκεκμηλῶν σώματι, καὶ τῷ ζωῆς, ἀυξήσεώς τε, καὶ αἰδήσεως, καὶ γεννήσεως παρεκλεκτῆ; ἀντεξῆσσι, δελκικῆτε, καὶ ἐνεργητικῆ, τρεπῆ, ἥτοι ἐδελότρεπῆ, ὅτι καὶ κλῆσι, πάντα ταῦτα καὶ φύσιν ἐκ τῶ δημιουργήσαντῳ αὐτῆρ χάριτῳ ἐληφῆα, ὃς ἦε καὶ τὸ εἶναι, καὶ τὸ φύσει ἔτως εἶναι, ἐληφεν. *Anima est substantia vivens, simplex, incorporea, oculis secundum*

dum propriam suam naturam invisibilis, immortalis, rationalis, intellectualis, infigurabilis, organico utens corpore, atq; huic vitam, augmentationem, sensum & generationem tribuens, libera potestatis, voluntate praeedita, & operationis efficax, veritabilis, id est, mutabilis voluntate, quia creata est: haec omnia secundum naturam à conditoris gratiâ & benignitate adeptâ, ex quâ & esse, & naturâ ita esse suscepit. Augustin. l. de Spiritu & animâ c. 14. tom. 3. p. 809: Anima est Spiritus intellectualis, rationalis, semper vivens, semper in motu, bonae malaeq; voluntatis capax. Bernhard. de vitâ solitariâ ad fratres in Eremito fol. 1038: Anima est res incorporea, rationis capax, vivificando corpori accommodata. Vide etiam Tertull. l. de animâ c. 22.

Animam
hominis
spiritum
esse pro-
batur.

70. Esse autem animam hominis Spiritum incorporeum, probatur. 1. Modo creationis. Longè enim alio modo, quàm animæ brutorum, creatur. De his enim legitur, quòd produxerit aqua & terra omnem animam viventem, non minùs atque materiam. Quo certè significare voluit Moses, eorum animas è substantiâ esse ipsorum corporum. Verùm Adæ anima non ex corporis fluxit substantiâ, sed à se per creationem ex nihilo illi venit, ideoque immortalis, immaterialis, incorporea, & incorruptibilis.

71. Deinde ut hoc loco Moyses hominem componit ex animâ & corpore: Ita Salomon eundem planè in eadem resolvit partes *Ecclesiast. 12. vers. 7.* De corpore autem dicit, quòd redeat in terram, unde sumtum fuerat; de Spiritu contrâ, quòd is redeat ad DEUM, qui dederat illum: Et quod hic dicit Moyses נשמה היי, spiraculum vitarum, illud Salomon appellat רוח, Spiritum.

72. Porrò *Psal. 31.* legimus: *In manus tuas commendo spiritum meum,* ubi etiam habetur רוח. Id quod postea Christus usurpavit in arâ crucis *Luc. 23. vers. 46.* Vbi in Græco est

est *πνεῦμα*. Et simile quid dixit Stephanus *Actor. 8. v. 59.*
DOMINE JESU, suscipe Spiritum meum *δέξου τὸ πνεῦ-*
μά μου.

73. Spiritus est anima: Ergo immortalis: cum spiritus *Esse im-*
ex corruptibilibus principiis non sit compositus, ut aut *mortalem.*
interire queat, aut dissolvi.

74. Hinc CHRISTUS *Matth. 10. v. 28.* inquit: *Nolite*
timere eos, qui corpus possunt occidere, animam verò non pos-
sunt occidere, sed timete potius eum, qui potest & animam &
corpus perdere in Gehennâ.

75. Ubi CHRISTUS concedit quidem corporis mor-
talitatem, secundum illud *Gen. 3. v. 19.* *E pulvere es, sci-*
licet juxta corpoream naturam, & in pulverem juxta ean-
dem reverteris. Et *Eccles. 12: Pulvis in terram suam redibit.*
Animæ verò immortalitatem asserit, juxta illud *Eccles.*
Spiritus, qui è pulvere non est, ad Deum revertetur, apud quem
mortis imperium est nullum.

76. Vnde Abrahamus quidem mortuus vivere apud
DEUM verè dicitur, & mortui cum Domino esse, inq; ma-
nu Iehovæ quiescere multis in locis scribuntur; & Laza-
rus vitâ frui in sinu Abrahæ ostenditur.

77. Perditio quoq; ista in Gehennâ talis est, ut immor-
talitatem requirat, nempe quæ æterna supplicia pereunti-
bûs & cruciatus nunquam finiendos damnatis minite-
tur.

78. Cæterum facultates animæ humanæ sunt duplices: *Facultates*
vel communes cum aliis viventibus; vel propriæ. *animæ.*

79. Communes sunt facultas vegetandi, & facultas *Communes.*
sentiendi, quæ locomotivam includit.

80. In communibus nihil plenè considerat Theologus,
nisi affectus, qui cum sensibus internis coniunguntur. Vbi
duo consideranda: 1. An affectus per se sint boni. 2. Quo-
modo regendi ab homine Christiano,

Affectus per se boni.

Affectus per se bonos esse patet hisce rationibus:
1. Quia sunt motus naturales efficaciter moventes, sensuum comites, ut notum est ex Physicis. Nullum autem naturale, quatenus tale, est non bonum. **2.** Quia cum animâ sive homine sunt creati: quod inde patet, cum etiam ante lapsum in homine fuerint. Adamus enim integer, nullis mendaciis, nullâq; vanitate conspurcatus conspectam Evam primo statim intuitu, sanctissimo, ardentissimoq; amore complexus est, eumq; verbis valde amabilibus prodidit: *Hoc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea, Gen. 2. v. 23, v. 24.* **3.** Quia faciunt quoq; ad imaginis Dei effecta, cuius præcipua sunt: Dilectio DEI, & dilectio proximi. Quid enim magis DEUS ab homine postulat, quam dilectionem sui & proximi? nempe eam totius naturæ consensu, & coniuratione vult fieri, *Deut. 6. Matth. 22. Marc. 11. Luc. 10.* **4.** Quia affectibus homo DEO similis esse censetur: *Luc. 6. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Psal. 103: Sicut Pater miseretur filiorum, sic Deus miseretur timentium se.* **5.** Quia ipse CHRISTUS, sanctitatis exquisitissima idea nullo turbata malo, aut a α xi α deformata, non tantum humanam substantiam, sed etiam inter cætera humanos affectus habuit: imò vivum & optimum fuit exemplar affectuû per se bonorum. *Oportuit enim eum per omnia similem fieri fratribus Heb. 2. & tentari in omnibus similiter nobis.* Hinc condoluit videns corda ludæorum occalluisse *Marc. 3.* contristatur & angitur in horto agonem subiens. *Luc. 22.* desiderio desiderat manducare Pascha. *Matth. 26.* misericordiâ motus est erga turbam fame laborantem. *Marc. 8.* Gaudet propter discipulos nactus occasionem declarandi potentiam suam in mortuo Lazaro *Joh. 11.* lachrymatur propter Lazarum, & fremit contra Diabolum, atq; aculeatam ironiam astantium. *ibid.* Quæ omnia ostendunt, affectus etiam vehementiores esse sine malitiâ posse,
&

& reverà etiam in sanctis, & innocentibus hominibus tales sine peccato reperiri. 6. Quia Deus ipse mandat affectus, simulq; vitium eorum prohibet: & ita disertè inter rem ipsam positivè existentem & inter vitium adhærens discernit *Psal. 4. v. 5. & Eph. 4. v. 26: Irascimini & nolite peccare. Matth. 5. v. 22: Quisquis irascitur fratri TEMERE, reus erit iudicij.* 7. Quia etiam in alterà vitâ duraturi sunt affectus, ut Dilectio DEI, *1. Cor. 13.* Vbi tamen DOMINUS sibi listet Ecclesiam sponsam gloriosam, non habentem rugam aut maculam, aut quicquam huiusmodi, *Eph. 5.* Purgatio igitur erit affectuum: At purgatio non est rei negatio, neq; etiam, quod per se vitiosa sit, assertio. Qui enim rem purgat, rem ut bonam retinet, sordes tantum removet.

82. Affectus autem hi licèt per se & suâ naturâ boni sint, facilè tamen vitio quodam inquinari possunt, adeo ut in se mali videri queant. Hinc *Gen. 6. & 8.* inquit Iehova: *Omne figmentum cordis humani malum est à pueritiâ.* Et *Proverb. 16: Est via, que videtur homini recta, & novissimum ejus ducit ad mortem.* Item *Rom. 8. Sensus carnis inimicitia, adversus Deum.*

83. Moderatione igitur opus est: quæ duplex, *Philosophica, & Christiana.*

84. Quæ in eo conspirant, affectus à crimine liberos esse debere: verùm in moderatione, & mundatione non eundem adhibent modum & medicinam.

85. Discrimen hoc potissimùm in causis consistit. Philosophia causam efficientem purgationis affectuum statuit ipsam hominis rationem; quæ quidem moraliter non nihil operatur, & rem eò dirigit, ne affectus doctrinam ipsam planè abiiciant, & contra externam disciplinam ad turbendam privatam vel publicam tranquillitatem nimium furant, aut debacchentur. Interim tamen ratio

C 3

quia

Moderatio
affectuum
duplex:
Philosophi-
ca & Chri-
stiana.

quia & ipsa vitiata est, ita vicino convenit, ut & sibi & ipsi blandiatur.

86. Contra vero Christianismus sive Theologia nihil causæ efficientis in homine originaliter agnoscit; sed Spiritum Sanctum per Verbum & Sacramenta efficacem docet regenerare hominis naturam, in quâ per fidem amplexantem CHRISTUM, & remissionem peccatorum, perfectamq; justitiâ DEO imputatam, omnes hominis vires, adeoq; illæ, quæ affectus edunt, renovantur, simulq; adest, & manet dux & gubernator Spiritus Sanctus, qui renatos agat, & subinde carnem cum affectibus suis sibi magis subiiciat & mortificat.

87. Mens igitur ita renata suadet quidem moderationem, ut & voluntas obtemperans ciet cor sanguine CHRISTI aspersum & mundatum, ut ita tandè hominis facultates ad temperandum affectus operentur: verùm id non modo, vel viribus naturalibus, sed spiritualibus: quippe quibus, de novo domitis, ipse Spiritus Sanctus utitur, cuius solius est, quicquid hoc modo bene agitur.

88. Rectè itaq; statuunt, qui formalem causam his verbis proponunt: Formalis causa sive ratio moderationis Christianæ post divinam quandam purgationem fontis affectuum est quædam ipsorum affectuum purificatio, & quidem primaria, & plenaria per justificationem, quæ toti personæ fide obtingit, quam comitatur renovatio quantitativa, quæ in hac vitâ non, ut justificatio, perfecta est, & tamen longè maiore moderatione, sive cohibitione affectuum, quàm Philosophia suadet & efficit, quæque subinde beneficio Spiritus Sancti incrementa sumit, DEO interim residuas in credentibus infirmitates tegente.

89. Distinguitur etiam moderatio affectuum Christiana

na

na à Philosophicâ, sine. Hæc enim externam quandam hominis utilitatem, nec non gloriam & existimationem propriam respicit. Christiana contra sanctificatio, & affectum gubernatio ante omnia ad gloriam DEI tendit, & deinde sine ullo propriæ vel gloriæ vel dignitatis respectu commodum proximi, à DEO præceptum, operatur & præstat.

90. Ad rem hanc magis declarandam & probandam varia adduci possunt scripturæ loca. Ioh. 8. v. 36: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Rom. 6. v. 4: *Sepulti sumus unà cum Christo per baptismum in mortem, ut sicut excitatus est Christus in gloriam Patris, ita & nos novâ vitâ incedamus.* Ibid. v. 6. *Illud sciamus, quod vetus ille noster homo cum eo crucifixus est, ut enervetur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccato: Item v. 11. & 12. Ita etiam colligite, vos ipsos tum mortuos esse peccato, tum verò vivere Deo per Christum, Jesu Dominum nostrum. Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis. Vid. Rom. 7. v. 15, 16, 17. & seqq. Item Rom. 8. v. 14. & seqq. 1. Cor. 13. v. 10. Gal. 5. v. 16, 17. Spiritu incedite, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem: Hæc autem, inter se opposita sunt, ut non quæcumq; volueritis, eadem faciatis. Et v. 22, 23, 24, 25. Fructus Spiritus est Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia, &c. Qui enim sunt CHRISTI carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs. Si vivimus Spiritu, Spiritu incedamus. Atq; hoc in loco Pauli quasi sedem habemus doctrinæ de gubernandis affectibus. Colofs. 2. v. 10. In CHRISTO estis completi, Colofs. 3. v. 9, 11, 12, 13.*

Facultas a-
nimæ hu-
manæ pro-
pria.

91. Cæterum facultas propria hominis est *intelligens & rationalis*, pro quâ in scripturâ sæpius cor sumitur: non quòd mens & voluntas in corde sint, & non in cerebro; sed quòd cor sit principium vitæ, & fons omnis motus vitalis, quo consequenter omnes hominis motus continentur. Ob hanc igitur prærogativam cordis appellatio animæ significationem habet præstantissimis instructa facultatibus.

Facultatis
huius par-
tes duæ.

92. Facultatis huius partes duæ etiam in ipsâ Sacrà scripturâ recensentur: *Intellectus & voluntas*. Quorum cohærentiam ostendit Paulus Eph. 4. v. 17, 18, 19: *Hoc dico & obtestor per Dominum, ne amplius versemini sicut reliquæ gentes versantur in vanitate mentis suæ: cogitationem habentes obscuram, & ab alienati à viâ Dei, propter ignorantiam, quæ est in ipsis ex obduratione cordis eorum. Qui postquam dedoluerunt semetipsos dediderunt protervia ad patrândam impuritatem omnem certatim.* Hic enim menti vanæ & perverso cordi voluntas, veluti mancipium, jungitur: cogitationes namq; cient voluntatem.

93. De intellectu in specie loquitur Psal. 32. vers. 91. *Ne sitis sicut Equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Vbi disertè potentia hæc animæ humanæ singulariter tribuitur, & negatur brutæ. Item vers. 8: *Intelligere faciam te, & docebo te viam, &c.* De mente & intellectu est etiam illud Deut. 6. vers. 5: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, & totâ fortitudine tuâ: pro quâ ponitur Matth. 22. vers. 37. Mens live δίανοια, & Marc. 12. vers. 30. Λόγος καὶ ἰσχύς cogitatio & fortitudo.*

Intellectus
quid.

94. Est igitur intellectus lux quædam in anima à Deo in creatione accensa, cuius splendor obscuritatem res involventem illustrando tollit, ex uno aliquo cognito plura latentia investigat, atq; ita cognitionem scientiamq; è causis & fontibus in animâ gignit, & constituit.

95. Pla-

95. Planè hinc facultas hæc spiritualis arguitur, quæ etiam adhuc post lapsum in suâ infirmitate tanta est, ut ex adspectabilibus hisce rebus inconspicua illa DEI, infinita & æterna aliquo modo investigare possit; *Rom. 1. v. 20.*

96. Intellectus hic dum de factis neglectisq; ratio- Conscien-
cinatur, oritur conscientia, quæ est motus tristitiæ, si tia.
rectitudo humanarû actionû desit; vel lætitiæ, si adsit.

97. Hinc conscientia testimonium est conclusum Conscien-
illud in ipso intellectu effatum, iudicatumq; de actio- tia testi-
num, motuumq; bonitate, vel malitiâ: Germani no- monium.
stri venustissimè vocant, *das Gewissen* / nempe quòd certò sciat, cognoscat, & intelligat mens, sicq; firmiter attestetur, hoc vel illud factum probari iure, aut meritò improbari.

98. Vt autem nullâ re corporeâ Spiritus alitur: ita etiam nulla res corporalis aut conscientia dolorè tollere, aut voluptatè in mente potest gignere constantè.

99. Exempla utriusq; ubiq; obvia sunt tum in desperatis, miserè intereuntibus, *Matth. 27. v. 2.* tum in extremis malis eorum, qui sanctâ quietaq; conscientia etiam ipsam mortem sine dolore perferunt, unde *Jobi* confidentissima vox, quâ Iehovam alloquitur *c. 13.*

100. De voluntate plurima sunt Scripturæ dicta, Voluntas.
quibus admonemur, ut nolimus cupiditatibus carnis obsequi, quod fieri rectè non posset, si voluntate præditi non essemus. Et Apostolus *Rom. 7. v. 18.* inquit: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim, quod Volo bonum, hoc facio, sed, quod NOLO malum, hoc ago.*

101. Est igitur voluntas facultas animæ rationalis, Voluntas
quæ in libertate arbitrii consistit, quâ in actionibus & quid.
motibus Electio libera continetur, ut id quod intellectus iudicat esse agendum, anima tamen possit pro ar-

D
bitrio

bitrio voluntatis, aliter determinare, &, ut aliter peragatur, vel planè intermittatur, imperare.

102. Hæc cum libertatis in actionibus sit causa, modumq; actionis definiat liberum, nec non Electionis copiam complectatur, cogi ratione nullâ potest, licet ob cohærentiam consensionemq; cum intellectu consiliis eius duci aliquando queat, & persuasionibus flecti, ut, quod aliter voluit peragi, aliter iterum peragendum concludat, & suscipiat.

103. Habitualis hæc voluntatis libertas, cum positivæ sit Entitatis, finem quidem suum in bono habet præfixum, ut & ipsa bona est: Verùm cum modus libertatis δύναμις habeat ἀντιθέσεως, positiva relinquere volendo, & ad rectitudinis privationem se flectere potuit, atque sic in actione finem suum deserere, maleq; agere. Quâ de re pluribus agetur in loco de libero arbitrio. Atque hæcenus de essentiâ animæ humanæ.

*Animarum
in homine
numerus.*

104. Porro numerum animarum quod spectat non desunt, qui opinantur, hominem tribus informari animis: vegetativâ, sensitivâ & rationali.

*Est tantum
unica.*

105. Verùm nos unicam animam in homine adferentes initio contra illos urgemus textum biblicum, & historiam creationis. Dicit scriptura: *Et inspiravit ei spiraculū vitæ Deus*; in singulari numero; non in plurali. Ergo ei tantum unū inspiravit spiraculū: Ergo tantum unam animam, quia spiraculum vitæ ipsa anima est.

106. Inquis: addi *vitarū*, non vitæ? Verùm id contra nos nihil, sed potius pro nobis. Nam spiraculū animæ essentiam notat: Vitarum verò (ut rectè colligit Cajetanus) tres facultates, quib; homo triplicem vitam vivit. Ergo per spiraculū una notatur anima, per VITARUM multiplex vita: vita nimirum accidentalis, quatenus à distinctis facultatib; fluit: hoc est triplex actio vitalis.

107. Atq; hæc etiam causa est, quòd de animalibus quoq;

quoq; quia duas habent facultates, & per eas duo vitæ genera vegetativū, & sensitivum, in scripturis pdicetur. **נשמה היי** nunquā verò de plantis, quanquā & ipsæ vivant: quia vegetativā tantū facultate sunt præditæ. 108. Ut porrò spiraculum in numero singulari tribuitur hominī, ita ubiq; de animis hominum loquens scriptura singulari numero utitur, Gen. 9. v. 5: *De manu viri fratris ejus requiram animam hominis.* ibid. c. 12. v. 13. *Vivat anima mea propter te.* c. 17. v. 14. *Exterminabitur anima illa de populis suis.* c. 19. v. 17: *Salva animā tuam.* item v. 19. 20. c. 23. v. 8. c. 27. v. 4. & 25. c. 34. v. 2. 8. c. 35. v. 18. c. 46. v. 18: *Genuit Isaac sedecim animas.* v. 22, 25, 27. c. 49. v. 6. Exod. 4. v. 19. c. 12. v. 15. c. 15. v. 9. c. 16. v. 16. c. 21. v. 23. c. 31. v. 14. Lev. 2. v. 1. c. 4. v. 2. c. 5. v. 1, 2, 4, 15, 15. Et infinitis aliis in locis: Maria in suo cantico: *Magnificat anima mea Dominū,* Luc. 2. Sic Christus ipse unam docet esse animam, Matt. 10. v. 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animā autem nō possunt occidere.* Ioh. 15. v. 13: *Majorem dilectionē nemo habet, quā ut animā suam quis ponat pro amicis suis.* Non igitur est in homine nisi unica anima, quæ poni & auferri possit, perimi verò & corrumpi nō possit. Id autē, quod in homine corrūpi queat, est corp⁹. 109. Si præter corpus etiam aliqua est anima in homine, quæ corrumpi potest, illa in morte Christi vel fuisset corrupta, vel miraculosè reservata. Corrupta nō fuit; quia juxta verissimum Theologorum axioma, quod *λόγος* sive filius Dei semel assumpsit, id nunquam dimisit: Ergo fuit miraculosè servata. At id nullo modo vel ex veteri, vel ex novo Testamento probabitur. Ergo à Theologo asserendum & probandum non est. Et per consequens præter corpus non est anima aliqua in homine, quæ corrumpi possit.

110. Salomon quoq; *Ecclesiast. 12. v. 7.* docet, hominē in duas tantū, & non in plures partes resolvi, cum moritur: *in corpus, quod redeat in terram, unde sumtū fuerat:*

& in Spiritum, qui redeat ad DEUM, qui dederat illum; non aliter atque Moses in historiâ creationis tantum duarum partium, ex quibus compositus sit homo, nempe corporis & spiraculi vitarum, mentionem facit.

111. Hinc verè unam tantum in uno homine animam esse, ex Sacris literis determinatum est, in Concilio Constantinopolitano sive octavo generali, act. 11. Can. 11. & receptum est ab Ecclesiâ in libro de Ecclesiast. dogmat. c. 15. Verba Canonis sunt: Apparet, quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, ut, hominem duas habere animas, impudenter dogmatizarent. Tales igitur impietatis inventores, & similia sentientes, cum vetus & novum Testamentum, omnesq; Ecclesie Patres unam habere animam asseverent, sancta & universalis Synodus anathematizat.

112. Audiamus etiam sententiam Augustini l. de Spiritu & animâ c. 48. Tom. 3. p. 888. Vbi inquit: Nec duas animas esse credimus in uno homine, sicut multi scribunt: unam animalem, quâ animetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spirituales, quæ rationem ministret. Sed dicimus, unam, eandemq; animam esse in homine, quæ & corpus suâ societate vivificet, & semetipsam suâ ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in suâ substantiâ eligat cognitione, quod vult. Vid. eundem l. de duabus animabus contra Manichæos c. 12. Tom. 6. p. 155. item l. 6. contra Faustum. tom. 6. p. 237. item l. 10. super Gen. ad lit. c. 13. item l. 4. de animâ & ejus origine ad Vincent. c. 22. Hieron. in c. 3. Daniel. Athanas. in Symbolo Damascenum l. 2. de fid. Orthod. c. 12. Atq; hætenus de Creatione animæ, & quæ ad eam pertinent.

Animæ hu- 113. Propagationem quod spectat; primùm dicimus: manæ pro- animam non immediatè à DEO creari, sed unà cum cor- pagatio. pore à Parentibus propagari. 1. Quia DEUS ab omni creatione quierit die septimo, Gen. 1. v. 28. 2. Quia in creatione EVÆ DEUS ipsi novam animam non creavit

&

& inspiravit: sed ex costâ animatâ ædificavit uxorē Adæ.
3. Quia D E U S benedixit homini toti, non soli corpori, ut
cresceret, multiplicaretur, & impleret terram, *Gen. 2. v. 2.*
quod certè per generationem fieri debebat. 4. Quia si in
cæteris creaturis non exspirat benedictio divinâ, ut
D E U S necesse haberet ad formam creationis primævæ im-
mediato modo conformare quotidie novas animas; uti-
que de hominibus contrarium affirmare non licebit. 5.
Quia manifestè ostendit Sacra scriptura individua non
partim à D E O, partim ab hominibus, sed à solis parenti-
bus generari, ob quam causam nimirum generationis, eis
etiam titulum patris, & matris, attribuit, ut *Jerem. 16. v. 3.*
leguntur hæc verba: *Hæc dicit Dominus super filios & filias,
qui generantur in loco isto, & super matres eorum, quæ genuerunt
eos, & super Patres eorum, de quorum stirpe sunt nati. Sic,
Gen. 5. v. 6. Seth genuit Enos. vid. Hiob. 3. v. 2, 5. & 7. cap. 14. v. 1.
2. Samuel. 16. v. 11. 1. Reg. 8. v. 19. Os. 1. Rom. 9.* 6. Quia *Gen. 5. v. 3.*
legitur, Adamum genuisse filium Sethum ad imaginem &
similitudinem suam, quam similitudinem non tantum in
accidentibus; sed etiam in propagatione substantiæ con-
sistere, inde liquet: quia nullum accidens potest sine sub-
iecto procreari, ut cuius esse est inesse: Si igitur concedi-
tur peccatum originis (cuius *δεητικόν* præcipuè anima est,
quodq; per imaginem Adami hîc propriè notatur) in po-
steros propagatum esse, necessum est concedatur etiam
subiectum eius propagatum fuisse. 7. Quia David fatetur
*Psal. 51. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis
concepit me mater mea.* Quæ certè verba ad solum corpus
referri nequeunt. 8. Quia si anima non statuatur unâ cum
corpore à parentibus propagari, peccatum originis planè
tollitur. Quæ ratio B. Augustinum, cum Pelagio de pec-
cato originali disputantem, mirum in modum exercuit.
Cum enim B. Augustinus Pelagio, neganti peccatum ori-
ginale, concederet, animas à parentibus non propagari,

sed divinitus inspirari, hoc pro confesso sumsit Pelagius, & ferè in hunc modum ratiocinatus est: Si creantur à DEO animæ ex nihilo, aut creabuntur puræ, aut impuræ: Si impuræ; DEUS erit autor peccati: Si puræ; destituentur peccato originali. Si verò purissimæ animulæ à DEO in impura corpora detrudantur, DEUS crudelis, & iniustus habebitur, qui animas puras in impura detruderet corpora; quomodo autem hac ratione divinæ justitiæ subsisteret regula, quæ neminem innocentem, & ab omni malo prorsus exemptum sine ullâ inhærente culpâ punire vult, ut testantur loca *Ezech. 18. v. 4. Exod. 32. v. 34. Deut. 24. v. 16. 2. Reg. 14. v. 16.* Hunc ferè in modum cùm Pelagius argumentaretur, B. Augustinus tamdiu se extricare, & nodum huius argumenti dissolvere, quantumvis re diu multumq; perspicillatâ, non potuit, donec in eam iret sententiam, quam nos cum orthodoxis asserimus, totum nimirum hominem peccato pollutum à toto homine generari, quo pacto Augustinus nervum argumenti Pelagii dissolvit, & doctrinam de peccato originali adversus eundem sartam tectamque rerinuit. 9. Quia homines regenerari & renasci debent ad *Tit. 3. v. 5. Job. 3. v. 3, 4, 5, 6, 7.* Ergo præsupponitur alia ex parentibus polluta generatio & nativitas. 10. Quia in fidei nostræ Symbolo Apostolico confitemur: *Filium Dei conceptum de Spiritu Sancto, & ex Mariâ virgine natum esse.* Quæ verba Symbolum Athanasianum sic explicat, & interpretatur; *Jesus Christus Dei filius, homo ex substantiâ matris in seculo natus est, perfectus homo ex animâ rationali, & humanâ carne subsistens.* 11. Quia si totus homo non totum generat hominem, corpore & animâ rationali constantem, neque reparatio nostra per CHRISTUM in salutem totius hominis est facta. Cum id solùm redemerit CHRISTUS, quod assumpsit.

Quomodo
ex substan-

114. Quod igitur anima unâ cum corpore ex substantiâ pa-

parentum propagetur, certum est. Quomodo autem illa propagatio fiat, porrò indagandum restat.

115. Propagationem hanc non sine singulari DEI præsentia, & providentiâ fieri, quis in dubiũ vocabit? Quemadmodum enim DEUS hominem non generali illâ omnium animantium creatione simul creavit, sed seorsim peculiari modo, ad imaginem sui, eum efformavit; ita etiam non generali illâ providentiâ, quâ aliàs adest, juvat, & conservat per propagationem omnium animalium species: sed planè peculiari præsentia, & operatione hominis formationi & generationi præstò est.

116. Hinc in diversis Sacræ scripturæ locis DEUS in hominũ generationibus corpora humana efformare, simulq; animas creare dicitur *Esa. 44. v. 24. Jerem. 1. v. 5. Job. 10. v. 11. 2. Macc. 7. v. 11. ἐξ ἑρᾶν ἔταυτα κέκρημαι. Es. 42. v. 5. Zach. 12. v. 1. Actor. 17. v. 25. Eccl. 12. v. 9.*

117. Quomodo autè hinc DEI concursus fiat, illud vix in hac vitâ explicabitur; quandoquidè hinc deficit ratio, & sacra scriptura tacet. Quiescam⁹ igitur in hoc, quòd sciam⁹, totum hominè ex parentibus generari, concurrente singulari providentiâ & operatione divinâ: ne plura investigando etiam amittamus id, quod habemus & scimus.

118. Tandem errores, quos hinc reiicimus, sunt: Primus est Aristotelis, qui, sicut mundum, ita quoq; homines voluit esse æternos sine principio.

119. Secundus est Poëtarum, qui finxerunt, Prometheũ fuisse illum, qui primum hominem formaverit ex luto: nisi forsan nomine Promethei intellexerunt æternam DEI sapientiam, quæ est CHRISTUS, ut nonnulli sunt interpretati. *πρόμηθεὺς* enim significat eum, qui consilio, prudentiâ, & sapientiâ providentiâq; valet.

120. Tertius est *Ciceronis*, qui, animam hominis inde ab æterno vixisse, arbitratus est *de divinat. lib. 1.*

121. Quartus est Rabbinorum, Simoniacorum, & Men-

tia paren-
tum propa-
getur ani-
ma.

Errores
hic vitan-
di.

1.

2.

3.

4.

nan-

nandrianorum, qui statuunt, Angelos fuisse *συνεργῆς* in creatione hominis, vel creatores ipsos. Videatur Epiphanius *thes.* 21. & 22.

5. 122. Quintus error est illorum, qui duas vel tres animas distinctas in homine fingunt, cum tantum una sit anima tribus distinctis facultatibus prædita.

6. 123. Sextus illorum est, qui opinantur, omnes animas olim simul creatas, atque in divini thesauri apothecâ asservatas, suis deinde corporibus infusas fuisse.

7. 124. Septimus illorum est, qui certum numerum animarum statuerunt, easq; , priore interemto, in alia transire corpora existimarunt.

8. 125. Octavus illorum, qui hodie statuunt, singulis hominibus novas quotidie creari animas, & nascentium corporibus infundi.

9. 126. Nonus est Epicureorum furor, qui corporis voluptatibus immersi, unâ cum corpore ipsam quoq; animam interire statuunt. Quorum studia & sermones exprimuntur, *Sap. 2. v. 5. Esa. 22. v. 13. & 1. Cor. 15. v. 32.*

10. 127. Decim^o est Sadducæorū, qui ut omnem spiritum negabant, ita, animam hominis spiritū esse, inficiabantur.

11. 128. Undecimus continet illorum insaniam, qui, licet animæ immortalitatem non negent, terrenis tamē rebus ita adhærent, ut æternam felicitatem, & salutem planè negligant, de quibus loquitur CHRISTUS, *Matth. 16. v. 26.*

12. 129. Duodecim^o illorū est, qui non tantum animam hominis immortalē faciunt, verū, in universum omnem animam & formam à corpore separari, & post separationē remanere usq; ad extremū diem, sine omni omnino fundamento, sibi & nonnullis aliis indoctis persuadent.

13. 130. Decimus tertius illorum continet impietatem, qui abortum studiosè procurant: nec non illorum, qui prægnantes quaquâ ratione lædendo abortus præbent occasionem, *Exod. 21. v. 22.*

F I N I S.

99 A 6935


ULB Halle 3
005 360 463



TA → OC







6



TIONUM
 gicarum
 catio VI.
 DE
 NIS ES
 THEOLOGI-
 SIDERATA.
 emiã VVitteber-
 oposita;
 ESIDE
 O MARTINI
 re publico:
 ONDENTE
 EVO MEIERO
 rg. Holsato.
 ÆBURGI,
 achimus Boëlius.
 tis Bergeri Bibliopolæ
 rg: Anno 1611.

